

Obijt 1426. (non igitur post 1432. ut perperam in *Scriptt. Univ. Vien. P. I. p. 100.*) in die Sancti Georij martiris; Expositio est *Cantici Canticor.* quam praeit 1) *Tabula secundum ordinem alphabeti;* 2) *Conspectus exactus Materialium,* quae ad singulos Verficulos tractantur, demum *Dicatio: Reuerendo patri domino poncio dei gratia clarimontensi episcopo frater thomas quantuluscumque monachus se totum in exequendis mandatis impendere. Uebementer obstupesco &c.* Non nisi aegre hortatu Pontii se aggredi Opus dicit *post origenis mella, gregorij pigmenta, bede odorama, beati* (a. 1153. mortui, a. 1165. Sanctis adscripti) *bernardi balsama &c.* Nec plura excerpo; editum enim est Opus a *Jod. Badio Ascensio Parisiis 1521. f.* qui miro consilio cum *Thoma* nostro combinavit ea, quae reliquit in *Cantica Johannes Halgrinus, Hollegrinus, Malgrinus de Abbatisvilla* Card. Ep. *Sabin.* adprobata, ut ait, tempore *Gregorii IX.* a. 1233. Autore, de quo *Ciaconius* in *Vitt. Pont. et Card. T. II. col. 79.* e vita digressio a. 1236. aut 37. Praecessit igitur aetate *Thomas*, qui Expositionem suam scribere debuit inter annos 1170—87. posterior enim annus *Pontii* Ep. extremus fuit. Errat is ante *Episcopatum Cisterciensis* pariter *Monachus*, et *Clarae Vallis* Abbas. An autem ad idem *Coenobium* pertinuerit *Noster*, quamvis id editori *Badio* visum fuerit, non liquet. *Valcellensem* in ditione *Cameracensi* credas, si *Carol.*

*Vischium* in *Bibl. Cist.* p. 312. audias. At idem ead. pag. *Thomam de Persenia*, et p. 310. *Thomam* simpliciter *Cisterciensem* Expositionis nostrae Autores facit. Eandem *Job. le Paige* in *Bibl. Praemonstr.* p. 307. *Thomae Viconiensis* Ecclesiae Canonico tribuit, reprehensus ideo ab *Oudino T. II. p. 1575.* Interim his omnibus *Indicem* suum inferfit *Lelongius* *Bibl. sacrae T. I. p. 988. et 737.* ubi Expositionem a *Badio* impressam, quam excitavi, dat *Thomae Gallo, Italo Pedemontano Cisterc. Abbatii S. Andreae Vercellensis*, quod ex *Valcellensi*, totque errores ex incitiam aut incuriam *Librariorum* in praefigendis *Autorum* nominibus ortos esse facile quivis statuet.

## CLI.

Codex membraneus lat. Sec. U. 132 XIV. Folior. 73. f. per duas columnas nitide scriptus, rubricis distinctus, et a. 1540. ut *περὸ γράμματα* frontis testatur, ab *Job. Fabro* praestante illo *Viennensium* Antistite legatus suo ad *D. Nicolaum* Collegio complectitur absque *Autoris* nomine: I. *Commentarium* in *Ecclesiasticum* praevio *Capitulum CXXVIII.* Indice, quem *Prologus* Libri: *Multorum nobis et magnorum &c.* absque expositione sequitur. Expositionis ipsius *Prooemium* incipit: *Summi regis palatium in quatuor consumatur. in fundamento legis et prophetarum, in parietibus epistolarum apostolorum, in tecto quatuor evangelistarum, in interiore ornatu agyographo-*

phorum &c. In eodem Prooemio legas: *Hunc* (Librum) *Rabanus exponit*. Itaque hoc junior est Commentator noster, et quidem tribus Seculis; *Hugonis* enim Card. a S. Caro dicti O. P. qui a. 1262. obiit, *Postillam* in *Επιτομην* contraxit, ut Edit. *Lugdun.* 1645. T. III. fol 171. f. conferenti patebit. Siftit vero in illo: *Bonum facientes non deficiamus, metemus enim tempore suo non deficientes; editione ulterius aliquantum procurrente.*

II. fol. 57. *Expositio* sequitur *Libri Sapientiae*, cujus Praeloquium simpliciter rubro notatur: *In librum Salemonis, et inquit: Quaecumque scripta sunt, ad nostram doctrinam et utilitatem scripta sunt. Aperiat ergo dominus nobis intelligentiam paruulisque petentibus et esurientibus frangat panem sacre scripture &c.* Agit dein de Libris non canonicis, sed utilibus *ad morum instructionem*, inter quos *Nostrum* censet a quibusdam *Salomoni* tributum. *Sed augustinus se diu deceptum dicit hoc errore.* (Ubinam? In *Siracidem* inclinasse memini, non vero in *Salomonem*.) *Jeronimus autem dicit. hunc librum non esse salomonis sed philonis.* Subdit mox: *Huius libri expositionem bellator nomine presbiter quidam VIII. uoluminibus comprehendit. qui huius Libri expositor fuit.* — *Sed utrum greco eloquio expositus fuerit, non legitur.* Ad quae observo, non superesse jam *Bellatoris* *Commentaria*, quae non, ut *Tritbemio* n. 268. visum, *Seculo IX.* nec, quod a *Sigeberto*

*Gemblac.* c. 88. mutuatus est, *Libris VII.* scripta sunt, verum *Seculo VI.* et *Libris VIII.* testante *Cassiodoro* Presbyteri illius amico, qui ejus *Ἐξηγητικά* enumerat *Capp.* 1. 5. et 6. *de Institut. diuinar. Literar.* *Cassiodori* verba repetit *Rabanus Maur.* in *Prologo* ad sua in *Sapientiam* *Commentaria* edit. *Colon.* 1626. T. III. p. 362. *Cuius voluminis expositionem presbyter Bellator octo libris se assumpsisse testatus est. De quo Pater Augustinus et Sanctus Ambrosius homiliarum nomine nonnulla dixerunt. De quo, id est, de Volumine Sapientiae, non vero de Bellatore, qui secus ad Ambrosii aevum proveheretur. Quod de graeca Expositione Sapientiae addit Anonymus noster, video tamen T. II. Codd. Mss. Angl. inter Codices Thomae Gale p. 186. n. 5895. adferri aliquam Hesychii; at in hunc inter plures ejusdem nominis digitum intendere difficile est. Neque expeditius, Autorem praesentis Expositionis designare. Incipit ille: Diligite iusticiam &c. Volens nos auctor inuitare ad sapientiam primo commendat iusticiam, de qua ysaias. Qui non didicerit iusticiam, non faciet ueritatem super terram &c. Et finit: In omni loco assistens eis. Multe tribulationes iustorum et de omnibus liberabit eos dominus. Non ita Strabus, aut Hugo a S. Caro, aut Nic. de Lyra, quos tamen Noster, ut e variis coniecto, novisse videtur.*